Cracoviensis Studiis Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philos.
1640 mense Octobr.
Nyca Joannis: Laureae academicae primoribus de XXVIII. M. Oct. pro prima AA. LL. et Philos. dignitate Candidatis concinnatae.

LAVREÆ ACADEMICÆ

Primoribus de XXVIII

VV. DD. pro Prima Artium Liberalium & Philoſophiæ

IN

LYCEO IAGELLONIANO

DIGNITATE CANDIDATIS

Promouente Excellen: ac Doctiß. Dño,

D. IOANNE CYNERSKI Rachtamouio, Coll: Maiore R. P.

A

IOANNE NYCZ,

Eiuſdem honoris Candidato

CONCINNATÆ.

ANNO AB ACADEMIA CONDITA.

C. C. XL.

CRAC. Apud Valerianum Piatkowſki.

In Insigne Domus SKARSZEVIANÆ.



Inclyta SKARSZEVIAE *noris quæ stemmata Gentis?*
HORREA *sunt; omnes quo Ceres accit opes.*
Sors bona: non inopes tristis vexabit egestas;
Ad quæ confugiant HORREA *præsto vident.*
In messem viduata nouam stant: fertilis inde,
SKARSZEVIIS *in agris, auguror, annus erit.*

Perillustri ac Admodum Reuereñ: Domino,

D. IOANNI SKARSZEWSKI,

Ecclesiæ Cathedr: Crac: CANONICO,

Custodi Vislicienſi, S. R. M.

SECRETARIO.

Domino & Mæcenati Amplissimo.

ID meum frequens atq; feruens erat desiderium Perillustr. ac Adm: Reueren: Domine, idq; continuis, à Deo Opt. Max. votis precari sum solitus; vt, si quod ab exili ingenij mei riuulo communem profluerent in lucem, Tuo illud Nomini & Honori, pro publico & priuato liberalissima Tui in me animi beneficio, dicarem & consecrarem. Ingratus etenim, ne dicam impius essem censendus, si eius memoriam, in cuius mihi Prytaneo munificentissimas manus, animumq; beneuolum suffragari sentirem, nullo pietatis prosequerer officio: paterer q; ingrato silentio, quasi Angenoræ Deæ stupore amplissimi Mæcenatis Nomen obliterari. Quid quòd post Diuinos Honores, sacrosq; Religionis ritus, tantâ pietate Benefactores sint ornandi? Sed quid prosequor Te Perillustris ac Adm: Reuereñ: D. veneratione, dum alienas hederas & triumphos Tibi offero? triumphos nempe sub Nomine Heroum, bonorum, altricis ingeniorum Academiæ. Atqui etiam ad Te ma-

gna pars encomij spectabit illius? nam Tu quoq; magnus Heros es. Quid enim palam dicere verebor, cùm Te ex tanto, tamq; celebri clarißimorum numero Heroum nostra ætas intuetur? quoquo versus vertit & circumfert oculos meminit, & admiratur? Afferre possum vndiq; testes, quoties Tuam in Tribunalitijs Lublini & Petricouiæ iudicijs fidem, & æquitatem commemoro: quoties Tibi, Tuæq; integritati, in Comitialibus huius Prouinciæ conuentibus peragenda, à Sacra M. R. credita consilia recognosco: quoties in componendis vicinorum incolarum litibus dexteritatē atq; prudētiam comperio: quoties Tuam cum Germano prudentißimo, tanquam Castoris cum Polluce; in Illustrium Flaminum & Cōfratrum solenni ritu, celebrando concilio, grauitatem consiliumq; repulsæ nescium deprehendo; inqué arduis finitimorum negotijs grauissimū iudicium, mentemq; prouidam animaderto. Ibant Tibi nuper obuiam duo hospites Honores, sed cum tu illis, non tam vti, quàm dignus videri malueris, non procul à Tuis penetralibus conspicuam Sedem fixerunt. Subiugatam antiquitùs Genti Tuæ Fortunam tantopere experimur; vt ei necessariò in Regum aulis, Magistratuum Orchestris, hastiludio Martis, in amplißimarumq; dignitatum mitris, atq; caduceis summa cum autoritate deferendis ac demandandis obtemperet. Norunt Te exteræ Nationes, Germania vidit, Gallia salutauit, Roma vix non Ciuem sibi suum adscripsit & vendicauit: multæ deniq; peregrinarum Gentium Camænæ Te sibi incolam ad ornamentum Patriæ educarunt. Faue igitur Perillustris ac Admodum Reuerende Domine, & opellam hanc sese Tibi sponte submittentem benigno intuere vultu;

Semper Honos, Nomenq; Tuum, Laudesq; manebunt.

Perillustr: ac Adm: Reueren: D. T.
deuotißimus Cliens
JOANNES NYCZ
Eiusdem Laureæ Candid.

Excel.

Excellentiss: ac Doctiss: Dominis, D. Examinatoribus,

D. STANISLAO OSĘDOWSKI, Facultatis Artisticæ Decano Coll: Minori.

D. MATTHIÆ MAZVRKOwic, Phil: & Medicinæ Doctori.

D. IOANNI CYNERSKI RACHtamouio, Coll: Maioribus.

D. STANISLAO WIECZORkowski, Coll: Minori, Charites VV. DD. Candidatorum debitæ obsequium gratitudinis exsoluunt.

EIA fausto, quotquot estis
Vrbe, quotquot in Polonis
Irrigatis arua pagis;
Quotquot Astra; quotquot amplas
Vistulę ripas amatis,
Hoc adeste Sole Plausus, inclytęq; gratię.
Ille blandus, et benignę

Palladis decus, Platone,
Socratisqué maior arte,
Jlle nos recentiores
Parturiuit hîc Platones,
    Crescat, expers officina fellis, OSÇDOVIUS.
Jlle leniore natus
Matre, suaui[illegible]re nostros
Er[illegible]auit arte sensus,
Cuius obsequentiore,
Molliora purpuratis
    Profluebant ore sertis, verba MASORKOVIUS.
Ille, qui fauentiore
Fronte nostros, atqué voto
Apprecatus est Honores
Arpinas, Horatiusqué;
Quiqué nostra Tulliano   (VIUS.
    Subleuabat arte, fracta corda RACHTAMO-
Ille nostræ Fama Musę,
Suaue mentis et virentis
Mite suauium Iuuentę,
Jlle nos suas per artes
Fulciebat, et laborum
    Herculis ritu leuabat mole WIECZORKO-
Hos amore, non Pudore,   (VIUS.
Et Fauore, non Rubore
Lilietis et Rosetis

Flori-

Floribusqué delicatis,
Labijs, amplexibusqué,
Ante castas prouoluti plantas, osculemini.
Pro labore, pro fauore,
Proqué grandium, molesta
Noctium quiete, Grates,
HERCIOQVÉ SIERPSCIOQVÉ
Offeramus; vtqué nostra
Ad perennes hinc Triones commigrent suspiria.

LAV

LAVRVS I.

V. D. DOMINICO CROMER Cracov.

HOC die, quantis DOMINICE, Thressam
Aestuans flammis, adames Pyrenem,
Per triumphalis data serta Lauri,
Pandit Apollo.
Serpis, Aetnæo velut vstus igni,
Sicanus vertex ; Academiacos,
Atq; Pimplæâ cinerare prunâ,
Poscis Honores.
Aeoli quamuis vacuata Cauris,
Ora ieiunent, Borealis atq;,
Spiritus compage tumultuosa-
Exasperet antra.
Aeoli ruptæ nihilum cauernæ, ad-
uersus Ascræos, poterint Amores,
Rite Cyrrhæus sobolescet vdis,
Aestus ab Euris.
His Polonorum, facibus flagrabat
Quippe fastorum sator, & Borussi,

Cla-

Clarus Antiſtes ſolij, Arianæ
Terror echidnæ.
Non fauor vulgi ſimulatus, omnem
Inſerit fronti vel opes Honorem,
Forte quas hoſpes Nabathæus oris
Legit Eois.
Sola, Muſarum per amæna plectra,
Laurus, illimes Heliconis amnes;
Incolens, dignos, patiente Phœbo
Spirat Honores.
At quotus multos reperitur inter,
Orphéus, chordæq; tenax Iôpas,
Cuî ſuum Daphne nemus, hoſpitali
Ingerat vlnâ ?
Ludicro magnete, virens, capaces,
Nympha Lucullos trahit: aſt inane
Torua faſtidit caput, incapaces
Deſpicit armos.
Tu verecundis DOMINICE palmis,
Quod tibi præſens Dea pollicetur
Prende quercetum, modulante noſtro
Carmina buxo.

B Carpē

Carpe frondoſam Iuuenis coronam;
Sueuit heroos Iouis arbor auſus
Hæc ſequi; de te meliora culmis
Auguror iſtis.
Auguror ſellas Tyrio curules,
Conditas oſtro; modo ad inchoatas,
Sis capax artes, SOLICOVIIQVE,
Pronus amuſſim.

Eidem Epigramma.

Clanxerunt litui, ſtrepuerunt ære canoro,
Claſsica: CROMERO vis præiunte ruit.
Pegmata circumſtant acies Academica: nũquid
Venandis vigilant agmina tanta feris?
Rupibus hiſce feræ deſunt DOMINICE: rubeta
Sola virent Daphnes Laurea, ſola cape.

LAVRVS II.

V. D. STANISLAO RAP, CRACOVIEN.

LVdorne? feſſas num vaga ludicris
Diuexat aures noctua fabulis?

An

An ſomniorum REX, inani
Ludificat ſpecie ſoporem?
Hæc HOSIANI conſcia ſanguinis,
Dum mando chartæ Moenia perpeti,
Aheneiſq; inſcribo muris,
Siue nouis Gadibus velitis:
Olim ſtupendi non ſine conſilî
Suadâ, colubro obſtantis Erinnyo
Fide, Sacramentoq́; Pacis
Belligeras cohibentis oras.
Sic Te, Tuorum ſanguine Ciuium
Dicent beatam, cuncta, CRACOVIAM
Per Regna Gentes, ille noſtris
Arctos erat Fidei Polonis.
Et Te beatum per Lechicos ferent
STANSLAE faſtos, quo memorem magis
Patrumq; maiorumq́; famam
Inſequeris gradibus Tuorum.
Hæc dignitatem, quæ decuit Tuam,
Ornauit illum, Laurea Præſulem,
Ad poſteros hoſpes ſuorum
Vtq; reclinat Honos auorum.

I, Suadet ætas florida, mordicus
Non liuor ausis inuidet optimis,
Causæq́; ciuiles, molestis
Impediunt benè cœpta curis.
Non quo, mouebit Te via tritior,
Calles at ibis, quo vocat arctior,
Non quoué suaues plebis Hyblæ,
desidis inuidiæq́; vulgi:
Sed quo Tuorum Te rapit inclyta
Virtus Quiritum, quo pia postero
Ferri nepotum turba debet,
Sæpe diu meditata passu.
Sic literatus Bellerophon vagis
Erepta sensim pectora cœtibus,
Attollit in sublimè celsâ
Inq́; iubet residere Cyrrha.
VITELLIANIS iuuit in areis
Sudasse crebris noctibus: ò neq́;
Dediscat ornari genarum
Tam gracili feritate pallor.
Hâc crede plures arte mereberis
STANSLAE Lauros: sic tibi compares

Face-

Fecêre, propriæq; nullum
Pœnituit ſtuduiſſe Famæ.

Eidem Anagramma.

STANISLAVS RAP. PARNASSI LATVS

Seu magnum, magno generatur Nomine Nomē,
Siue ab odorifera profluit illud humo.
Neſcio: ſed ſubiti ſcio quod data Laurus Honoris
Et mox PARNASSI *diceris eſſe* LATVS.
Si dat prima, LATVS *primū, dabit ergo ſecūdū,*
Altera. PARNASSI *ſic es vtrumq;* LATVS.

LAVRVS III.

V. D. IOANNI KOLDRASZ.

Sunt quos, Cydonijs ſtridula cornibus,
Lechos, tela iuuant; tendere, perfidi
Si vi forte bicornes
Inſtant Amurathis Deæ.
Sunt quos, Attalicus ſplendor, & Indicum
Circumſepit ebur; quos Phrygiâ decent

Vestes arte operatæ,
Ornatusq; venustior.
Me miscet superis Phœbus Honoribus,
Diuorumq; Choris, me popularium
Laurus chara Dearum,
Ad fasces Academicos:
Ad clarosq; uehit totius Imperî
Cygnos, ad titulos innumerabiles,
Incultoq; perenni
Aeuo separat á grege.
Non mî Bisthonius clangor arundinem,
Non plectrum cohibet, non chelyn alligat,
Trux Bellona: quieto
Florent cuncta silentio.
Retractent Alij: me mea, quæ mihi
Sors pacata tulit reddere liuidum
Non possunt alieni,
Virtus quod satis est, dedit.
Quod si Pegaseis, plura KVCHARSCIO
Me ducente vijs, Palladis assequar
Ornamenta; beatum
Me; spretis, neq; vilium

Musa

Musarum sobolem, Terrigenûm plagis,
Fingam, dum niueum versus in alitem
Applaudam, feriamq́;
Celso sydera vortice.

Eidem Epigramma.

Ite, cruentato Regales Marte coronas
Quærite, & augustas sæua per arma togas.
Ardua ferratis Cæsar pete mœnia turmus,
Pompei Patrium fac tueare solum. *(rus*
Munera sectatur KOLDRASZ *Academica, cla-*
Qui cupit esse, per hæc munera clarus erit.

LAVRVS IV.

V. D. ALEXIO RADLIC.

CVi remigantum more volucrium
Potentiores quærere Laureas
Arridet, audeat, superbam
Ille super volitare Cretam.
Me Dædaleus terruit impetus,
Et cera fallax, ad monuit vagas

vita-

Vitare nubes, & profundum
Oceani memorare pontum.
Quâ fraude demens corruit Icarus
Narramus, audax quo Phäëthon rogo,
Expers Paternos insolenti
Quadriiugos moderare virgâ.
Fasces ducales, & nimis arduos
Forti triumphos linquimus Herculi,
Qui non olorino premendi
Carmine, Mæonioué cantu.
Formidolosi remigium vadi est,
Suis Honores viribus impares
Ambire, consultumq́; apertó
Exitium glomerare passu.
Sublimioris non ego naufragus
Honoris: auro nam quoq́; Persico
Liuere nostram posse Chlorim,
Ingenuos quod adornet ausus.

Eidem Epigramma.

Ecce quid in sacris, non audet ALEXIUS undis?
KRASNICIO rectum suppeditante modum?

Prolu-

Proluit augusto, sitientes, flumine sensus:
Surgit & , eloquij flumen ab amne sui.
Si lubet, æternos vertas ad flumina sensus,
Omne in Castalio flumine flumen habes.

LAVRVS V.

V. D, LAVRENTIO KOZLOWIC.

NOstri, sors etiam memor.
Sta: condis virides Vesta parens sinus?
Quorsum? prome reconditos
Non obstante vago sydere flosculos,
Avtumnalis Eos fauet,
Nec mugit rigidis aura Aquilonibus,
Blandos nacta Fauonios.
Ergo Chrysoprasis sterne viam rosis,
Imis quicquid Ethesiæ
Merserunt tenebris, per medios leui
Anfractus repetant gradu.
Et mœstum violis pectus, & hispidis
Comant tempora frondibus.
In commune ruant Attica gaudium,

Quin baccata ? reciproco
Pronam transiliant compite Vistulam.
Hinc terror procul asseclæ
Martis ; pacificus cuncta reget iocus
Argutiq; sales : agi
Inuerso nihil hîc appetet ordine.
Lætum nostra canet melos
Aetas, rite pijs plausibus occinet,
Non læuis querimonijs.
At tu puniceâ gratior Iride.
De botris age Laureis
Pallas, fige meis schema tuum comis.

Eidem Epigramma.

Nec sub Erithraeo tãtum LAVRENTIVS ostro,
Quantum Lauricomo flore nitoris habet.
Nec solet Eoum tantum conferre metallum,
Quantum Pieriæ Laurus amœna Deæ.
Vnde potest Laurus fuluo liuere metallo ;
Sed tamen est arbor, Palladis : ergo potest.

Lau-

LAVRVS VI.

V. D. LVCÆ ZEGARTOVIC.

Ecquid niualis devia Caucaſi,
Dumeta pallent? præteritam dolent
Serò Promethei ruinam;
Sic etenim maleſanus, olim
Rubiginoſo, Iapetionius,
Tumultuatam ex aggere, diphteram,
Cœleſtibus raptâ caminis
Auſus erat ſolidare prunâ.
Sed heu dolendas, quæ ſatis horreat
Formido pœnas; quam nimium feris,
Ira Deorum vindicante,
Alituum data præda roſtris!
Palletné LVCA, Caſtalijs biceps
Parnaſſus vndis? quin Heliconio
Per vniuerſum iuſſit orbem,
Amne rudes animare mentes?
Ex pergefacto ſed qnod Horatio,
Priuata credas ſenſa, CINERSCIO,

Seu Tullium cum plebe passim
Sarmaticâ vocitas in Vrbe:
Non diua largis Phocidos insula
Concedet vndis, semianimem modò,
Sed frigidum per laureatos
Igniculos animare limum.

Eidem Epigramma.

Nympha ZEGARTOVIOS sepit Phœbea capillos
Forsitan hæc Doctum denotat arbor herum.
Defluа se plantis caracalla maritat in imis,
Signat Prudentem fors stola laxa virum.
Quid dubitē Doctū, Prudentē: in vertice quãdo
Decreuit nidum, Musa, locare suum.

LAVRVS VII.

V. D. ALBERTO NOWAKOWIC.

AN non digna cedro? non Academico,
Immiscenda choro nobilis indoles?
Non ex Aonijs, dum iuuenilibus

Egressa

Egreſſa ex animis dona capeſſimus,
Credemus faciles proflua fontibus?
Erramus, graciles ſunt etiam prope
Et paruos Charites; quos roſeus Pudor,
Iucundis ſalibus Gratia promicans
Commendat: niueis indicijs probat,
Candor: ſimplicitas neſcia fraudium.
Aequæuos etiam par ſapientiæ
Circumſcribit Honor. Ne precor inclyto,
Formida, tenerum tendere verticem
Serto; non ſtabilem dux ratio, gradum
Mutat, quodq; ſemel cæpit opus dies,
Infectum poſitis reddit inhoſpita
Curis. Ingenuis diſpar erit modus,
Non vt ſcæna leues amphitheatrica
Perſonas Lybici Cinyphis induens:
Verùm, legitimo ſe ſociam tibi,
Daphne connubio prona coordinat.
Hunc florem ante tuam mittit adoream,
Talis te meruit Laurea ſtipitis.

Eidem Epigramma

Qui tibi Phœbeos, iussus, testetur Honores,
Autumno, nullus rore rigatur odor.
In noua, scrutator prodi, viridaria florum,
Perpetuus remanet, queîs vigor atq; color.
Laurigeras scrutare Deas ALBERTE*; vigorem*
Perdere Laurigeræ non didicēre Deæ.

LAVRVS VIII.

V. D. BALTASARI LIBEROVIC,

NVnc liberali, nunc adamantino,
Io, canamus pectine, cum suam
Minerua LIBEROVIANO,
Imposuit capiti coronam.
Sic vult Apollo, sic Academicus
Concludit Aêr, dum veteres pari
Vigore, selectis Honores
Conciliat sine Vere Lechis.
Insultet & si Liuor, & asserat
Caliginosam debilibus Luem

Spi-

Spicis, cooptatum malignâ
Fraude volens abolere fetum.
Canamus IO: ſtat Capitolium
Fixo Mineruæ marmore, Fraudium
Nec peſtilentes, extimeſcit
Arcupotens, vomitus, Apollo:
Aſſuetus olim Tartareas dare
Neci Ceraſtas, IO VADOVIIS
Felix Athenæo racemis,
Creſcit Honos memores per annos.

Eidem Epigramma.

Atlas, Olympiaco fulcimine, laſſus, amicâ,
Ampby trioniadis voce precatur opem.
Hippocreneï fulcit graue pondus Olympi,
Balthaſar: ille tamen nullius orat opem.
Perge graui fortis, tua ſubdere colla Labori;
Quod fers ſi ſit Onus, crede ſequetur Honos.

LAVRVS IX.

V. D. THOMÆ FLORIANO GOGOLEVIC.

Sic

SIc nusquam moriar, fatur amabilis,
Crebrà voce parens, æ re perennior
Viuam, glandiphagos, Armigeri Iouis
Pennis ocyor, Arcades
Præuertam; populos flumine diuites
Visam, queisq; Tagus, fonsq; metallifer
Aurum perspicuo cominus alueo
Per scrupos agitat leues.
Non Romana meos Vrbs, caput omnium,
Eiurat titulos, non Berecynthiæ
Frondens Ida Deæ, cum numerosior.
Me matrem soboles legit.
Quæ tam vasta sinus impenetrabiles
Possedit Rhodope, quæ sola, nuncios
Præcelsis adeo dissita rupibus
Nostros ire redarguent?
Dum GOGOLEVIIS Laurea, iudice
Phœbo, serta comis, teximus, ò procul
Audimur, celebris, præpete, Gloriæ
Famâ, non patimur moram.

Eidem

Eidem Epigramma.

Ergo verecundo FLORIANE morabère vultu,
Obuia, pampineis, tempora ferre comis?
Aspice Fraternas, colit hoc insigne, cateruas,
Talis & æquæuos quod iuuet, ordo viros,
sperne nimis triti, vulgaria syrmata cultus,
Et venerare sacras, Laurea serta, togas.
In tua, Hiantæas, qui cogit dona, sorores;
Coget hic & virides in tua serta Deas.

LAVRVS X.

V. D. CHRISTOPHORO STELLANOVIC.

IMus? quid alto, longa meridie,
Formidolosi nectimus otia,
Nec flexuosos, irretortis
Instruimus manibus, dolones?
Hàc, quâ potenti, iugis, aheneas
Dextrâ columnas Amphitrionius,
Effregit, autumni, ruamus,
In mediosq; feramur hortos.

Illic

Illic, uirenti ex arbore, pendulos,
Formoſa gyrat Flora, decemplicis,
Orbes coloris, & recenti,
Caſta tegit folio capillos.
Imus? perempto, non mulierculæ,
Dracone, ſeris excubias agent,
Diebus. Atquid? Laureatis
CHRISTOPHORVS redimitur vmbris?
Iam peregrinis, vult Academica,
Maior videri Chloris, Honoribus,
Deſiſte turba, luctuoſo,
Heſperides populare bello.

Eidem Epigramma.

Florida Pæſtanis quærebam ſerta viretis:
Nil pæſtana meis compoſuêre iubis.
Iam Baiana vagus, ſcrutabar prædia: nullus.
In Baiana etiam, ſed color ortus humo.
Hippocreneas tandem conuertor ad vndas,
Et datur inde meis portio digna comis.
Ne ſocij tardate gradus; Academica tellus,
Vnde paret nobis plura brabia, gerit.

Lau-

LAVRVS XI.

V. D. ALBERTO KOSTECKI.

PArnassi, felix decursor, Olympionices,
Diceris esse nouus.
Nostra tuum Plausum riserunt lumina, tanto
Nomine dignus eras.
Hæc tibi decursis, data scæna penultima Musis
Laurus honorifica.
Emeritis cessisse viris insigne coronas
Cespite de uiridi.
Siue Mycenææ repeto Mauortia Gentis
Præmia, Laurus erat.
Seu Phygiæ, Phygium comunt è vimine codẽ,
Laurea serta caput,
Hoc tibi, Romanæ si gentis rite loquendũ est,
Germen honorificum.
Hoc etiam, cursus, si gentis more Pelasgæ,
Reddit Olympiacus.
Rectam perge viam, maiorem sperat Honorẽ,
Sardonichemq; manus.

Scilicet auratis lucebunt ſplendida Circum,
Tempora luminibus.
Murice de puro, tenui ſubtilis Arachne,
Syrmata pinget acu.
In te Mocander diues non deſpicit ullum,
diſparitate locum,
Te maior decorabit Honor : modo Nominis
Sint monumenta Tui (iſta

Eidem Epigramma.

Ex Aganippæis, non vltima flumina, riuis,
ALBERTVM præſens Flora bibiſſe docet.
Hoc decoratus, ages felicem germine vitam,
Vt canit ad laudes, noſtra Thalia, TVAS.
Cyllenæa iubet, verum teſtudo fateri;
Hæc eſt ingenio Laurea digna Tuo.
Nil reticet, mea Clio, TVI; reticeret at opto!
Ipſe TVVM, pro Te, nam loqueretur Honor.

LAVRVS XII.

V. D. SAMVELI KOWALEWSKI.

Iam

Iam iam leuamur, celſa volucrium,
Iam poſſidemus, præpete montium,
Querceta pennâ: ad deſtinatam
Auſpicijs cytharam ſecundis,
Iam præter Euros, præter inhoſpitas,
Cautes volamus, protinus inferas
Liquimus ædæs & ſuperbam
Regna ſuper gelidoſq; molem
Efferre nubes nitimur. vndiq;
Plauſére pulchris Alituum greges,
Circum choreis, ac avitum
Pindarico modulantur ore
Pæana. ſignari inſolitis nouum
Apollo ſenſit cantibus Hoſpitem
Hærens peregrinis in vlnis,
Pampineo veneratur hirtos
Crines amomo. Mox vbi prouido
Vittata pubes reſcijt omine
Quis ſperet? in Cœlo canorum
Aſtra ſubit, ſuperoſq; murmur.

Te gloriosis postera plausibus
Aeternet Aetas: ò Iagelonium
Crescat per Europen Lyceum,
Et memori vigor eius æuo.

Eidem Epigramma.

Pieriâ tellure Iouisacrata Latino,
Cinge meas, Daphne, flore virente comas.
Abnuis ? oppositæq; negas tua munera fronti,
Si *Sub patrocinium confugit vtq; Tuum ?*
pecccat tenuando Tuum mea Musa trophæum
Peccat Musa, reor non meus, errat apex.
Sparge Virescentes frondes: his frondibus, inte,
Quantum peccauit Musa, rependet apex.

L A V R V S XIII.

V. D. ALBERTO DABROWSKI.

VIta vale; priuate vale color; innocentioris,
Me Pallas, ad vitæ, recentiori, (tes.
Otia, laude trahit: gratâ vice, Chloridos pudẽ-
Cingente vultus, atq; blandiente.

Fron-

Fronde nouâ capiti. Nā dū mea, liberū caducis
Seruabat æuum dextra, codicillis,
Vixi inhonorus: Honor patulis procul auola-
Daphneq; noſtras deuiabat vlnas (bat alis,
Nūc libet & tortū viridi caput, impedire lauro
Quercuq; mentito ſacrâ, Tonanti:
In Libethreiſq; reſiſtere, poſſumus Cathedris:
Seu Tullium, ſeu Attico diſertum
Eloquio ſequimur Demoſthena: ſiue Stoicorū
Contra cauillum nitimur. Minerua,
Librat in anthitetis æquè decus, atq́; dignitates
Metitur Iro, diuitiq́; Crœſo.

Eidem Epigramma.

Quæ noua Phocaicæ iunguntur vincula Lauro,
Vel ſoror hæc illi eſt, vel ſoror illa fuit.
Quali DABROVIAM cingit diademate Muſam,
Tali etiam ſocias cinxerat ante Deas
Hoc Paphio par eſt, Paphio par illud odori,
Hoc par Hyblæis floribus illud erat.
Cum conſtet noſtras ſibi laurus eſſe ſorores,
Nos etiam fratres quis neget eſſe ſuos?

Ora-

ORATIO PANEGYRICA

In Laudem Almæ Acad: Cra. ab eodem primæ Laureæ Candidato, dum primum Examinis auſpicaretur ingreſſum, de more recitata.

SI, ACAdemiæ Quirites Excell: cæteriq; Auditores humaniſſimi, grauiſſimos & diſertiſſimos Romanorum Oratores, Sicinios, Craſſos, Antonios, Curiones, Tullios, tantâ interdum ob ſummorum excellentiam virorum ſuffuſos verecundiâ fuiſſe didicimus, vt non ſolùm animo cõmoti & conturbati grauiter expalleſcere, verùm etiam Pythagorico ſilentio obmuteſcere, Capito-

lio

lio ſecedere, Cathedras roſtraq; deſerere fuerint conati: nemini mirum videri debet quod ego, qui totius ātē actæ vitę flexu verecūdię ſtudioſus fuerim, de me idē ingenuè cogar cōfiteri. Expalleſceret omninò mihi in hoc ſacratiſſimo Camœnarum domicilio dicenti, tot clariſſimorum Oratorum ſplendore perculſa facies, præcordia palpitarent, caligarent oculi, vox & lingua faucibus hærens balbutiret, totuſquè pauens & trepidus adeò contremiſcerem, niſi, hæc veſtra ab ipſa natura inſita, perſpectaq; beneuolentia, iucundiſſimus hic veſter aſpectus, hæc ora, hi oculi, non rigido circumfuſi ſupercilio ſed raræ humanitatis luce pleniſſimi, inuſitatæ cuiuſdam vim iucunditatis animo meo inſtillarent, beneq; tandem me ſperare, hortarentur. Vos enim eſtis illi viri, qui vmbratiles ingeniorū pugnas promouetis, & qui, nos proniſſimo ſtudio & pietate ad faſtigiū ſapientiæ contendentes, iiſdem itineribus

iteue-

ireuelitis, quibus vos ipſi, poſt multas in ſtadio literarij curſus exhauſtas difficultates, & non impares Iaſoni labores, ad illud aſcenderitis, in eoq; nunc, ſecundo vitæ ſine vlla offenſione curriculo, veſtrâ sūmâ gloria & voluptate conquieſcitis. Iam veró, ſi omnium è veſtro conſeſſu beneuolentia, profectó, & hæc qua de loquar magno me eſſe iubet animo Academia, quam ego rudioris hac in vrbe literaturæ nauans operam fundamensis, tantoperè per omnes laborioſos vitæ meæ dies colui, amaui, & veneratus ſum, vt poſtea quam neſcio quibus fatis ex illius conſpectu auulſus eſſem, nihil per decumannum exilium tam mente verſabam, quam quo pacto retrogrados iterum detorquere oculos, in cariſſimæq; rurſus Parentis amplexus ruere, mihi licere deberet & concedi. Sit proinde veſtro mihi Ex: Qui: fauore ſuffragante de eiuſdem amplitudine cogitanti dicendi vis & facultas tanta, quantam reprehen-

dere

dere præsumat nemo, omnes veró paribus studijs & humanitate promouere contendant; tum ego in magnum Academiæ nostræ encomiū meam orationem conuertam, & eam sin minus ornatè & disertè quàm hic locus & ipsius dignitas postulabit, pie saltim & non arroganter Heroum Matrem verissimam probabo, & pro Virili demonstrabo. Adeste fauentes & præsentes animis qui adestis corporibus Quirites lectissimi cæteriq; Aud: humanissimi.

Ac vt ab ipsis Academiæ primordijs oratio nostra initium sortiatur, tradunt, inclyta Sarmatici cœli monumenta, clarissimiq; rerum in imperio nostro gestarum. Præcones atq; interpretes testantur, potentissimum Poloniarum Regem VLADISLAVM IAGELLONEM, & diuinissimā Heroinam eiusdem VLADISLAI Regis Coniugem Augustissimam Heduigim authores fuisse, qui ante alia præclara opera felici Diuorum omine, Cracouiense Athæ-

neum a primis olim fundamentis erectum sacratissimo Musarum cõcilio dedicarunt, Legibus munierunt & adornarunt, vectigalibus perpetuis auxerunt, & crescente per trium prope seculorum spatium ætate, multiplici scientiarum genere florentissimum reddiderunt. Cuperem ego Quirites Excellentiss. vt, si in recensendo memoriâ Themistoclis, Hortensij autoritate in agendo, in eloquendo Demosthenis aut Thucithydis quondam apud Athenienses, cæterasq; Greciæ vrbes disertissimorũ Oratorum excellerem facundià, illi ipsi gloriosissimi huius Heroüm Matris Conditores, qui nunc perenni & sempiternâ in illo æternitatis Capitolio, Diuinæ Maiestatis contemplatione fruuntur, hisce parietibus, quos Academicæ iuuẽtuti præclarissimis imbuendæ literis consecratos esse voluerunt, purissimas mentes includi paterentur. Loquerer in facie potentissimorum Hospitum positus, atq; orationem me-

Q̃m sum,

am summâ cum animi gestientis lætitia, ad pijssimum inprimis beneuolentissimi Monarchę pectus profunderem. Dicerem sanè en quanto iam illa Gymnasiorum tuorum vestibula, illa inquam Princeps munificentissime ad excolendos Polonæ Gentis animos, floremq; ingenuæ iuuentutis liberalissimis erudiendum disciplinis à te funditus erecta mœnia, florent & virescunt temporis interuallo: quantâ ad antiquissimarum maximè verò Galliæ & Germaniæ Academiarum speciem composita, honoris & amplitudinis gloriâ percrebuerunt: quam latè terras exteras atq; adeò remotissimas Christiani orbis peragrante famâ nationes suum diffundunt splendorem atq; claritatem. Tuum est encomium Rex augustissime, tuum beneficium, tu prouidisti ne diuinissima Philosophia, quam ad Reipub. gerendas rationes plurimũ conferre videbas, turpissimo iaceret in squalore, tu ne pauperies inuisa plerosque

cum

cum ab alijs quibusuis munijs, excelsisque dignitatum fastigijs deterreret, liberalissimâ profusione ærarij prospexisti. Transirem demum ad benignissimum assidentis Reginæ vultum. Vide augustiss. Heroina quam vno tuæ liberalitatis in commune publicumq; bonum effuso symbolo præclarum facinus, vno facinore immortale & post homines natos memorabile, ipsis vel Alcidæ statuis, vel inanibus Alexandri magni picturis apud Gades conspectis gloriosius tuo Nomini, & tuis gentilitijs Lilijs Mausoleum comparasti, dum hæc lilia nobilissima, hos flosculos lectissimos, in hoc viridario amœnissimo, in Parnasso Sarmatico longe desideratissimo produxisti, excitasti. Videmus his temporibus, hunc tuæ genuinum munificentiæ fætum, per multiplices variorum ordinum ac gentiũ concentus & triumphos, tantum in gloria proficere, vt non modo prosperâ æquabiliq; fauente fortunâ amplissimos Academi

arum

arum titulos non erubeſcat, ſed vltro etiā veræ Heroum Matris & glorioſæ Parentis ambigere Nomen minimè reformidet. At quoniam hîc non video illam Auditorum frequentiam, neq; animaduerto à parte vna VLADISLAVM IAGELLONEM ab altera HEDVIGIM regalibus fulgere diadematibus Reginam, hæc eadē Quirites lectiſſ: ſit ad vos quę fuiſſet ad illos Orationis meę contentio. Quis, etenim inferiores humanâ conditione titulos inde prouenire ſuſpicabitur; vnde ſumma laus ac pænè infinitus omnium honorum ſplēdoret Maieſtas, quaſi è perenni quodam fonte dimanans in ſtudioſiſſimos quoſuis virtutis ciues identidem redundat atq; deriuatur? Quis, niſi enormi temeritatis infirmitate correptus, eodē cum Phaethōte laboraret errore, aut naufragio Dædalidis ad Lethæum delatus amnem, rerum omnium in obliuionem veniret, eum locum non clariſſimum Muſarum domicilium, non ſemi-

narium

narium Virorum illuſtrium, nõ deniq; verum Heroũm Prytaneum appellandum eſſe cenſeret; ex quo multi trabeati Dynaſtæ & ampliſſimi viri ad Reip: munera obeũda multi, multi purpurati principes & Heroes lõgè præſtantiores & glorioſiores, quam ex equo Troiano Duces & Imperatores prodierunt? Vellem Quirites lectiſſimi vt quoad longiſſimè ſpatium præteriti ſęculi mens veſtra reſpicere poſſet, transactas Sarmatiæ rationes memoriâ reuolueretis vltimâ, illoſq; veteranos Reipub: Polonæ Optimates, quot & quanti habebantur, qui rerum geſtarum gloriâ aut alio quopiam genere laudis floruerunt, veſtros ob oculos proponeretis. Quam paucos & eos frequenter peregrinas extra ſolum natale quærentes Muſas, laboribus fractos & exhauſtos reperiretis: qui Rempub: etſi in altiſſimo tranquillitatis ſtatu poſitam, & collocatam in florem eduxerunt, ſuiſq; conſilijs in longinquam temporis moram,

&

& exſpectationem ſecurè conſeruari poſ-
ſe ſperarunt. Cur ita? Carebant verâ
Heroum matre Academia, quâ hac ſæcu-
lorum memoriâ florente, tot, orbe fortu-
næ in melius conuerſo, ad Sarmaticum O-
lympum præſidijs fulciendum prodierunt
Atlantes, quot pondera: tot ad ſummam
Imperij tenendam Iulij Cæſares & Pom-
peij, quot milites; tot ſpectatiſſimi Eccle-
ſiæ Orthodoxæ Antiſtites, quot Flamines
& Sacerdotes; tot adſuſceptam difficiliũ
cauſarum moderationem grauiſſimi Ca-
tones, quot Conſiliarij prudentiſſimi repe-
riuntur, quot Iudices commendantur. Fe-
rebatur Patria ſummo in Academiam de-
ſiderio, vt ſibi inſignes ad omnem rerum
præclarè geſtarum ſeriem poſteritati cõ-
mendandam porrigeret Præcones, porre-
xit Vapouios, Bielſcios, Dlugoſſos, Strico-
uios, Cromeros. Deſiderabat, vt ſibi pru-
dentiſſimos, qua ſacræ, qua profanæ pur-
puræ, ad ſalutaria Regni ſeruanda conſilia

F Patres

Patres atq; Megistanes produceret, produxit Cricios, Stempouios, Rescios, Tilicios, Lipscios, Olesnicios, Tomicios, Gębicios. Optabat ad extremum grauissimos & disertissimos Oratores, quibus iam ad exteras & barbaras gentes legationibus obeunda officia, iam ad proximos Reges & Imperatores, summosq; Pontifices deferenda decreta concrederet, sibi ab eadem subministrari; subministrauit Solicouios, Lascios, Zborouios, Ossolinios, Macieiouios, Herbortos. Nec longè plures rebus longæuę pacis otio confirmatis omnibus subministrare desinit, dum intra eius parietes, non tantum ad quæuis equestris Senatorijq, ordinis capessenda munia idonei oculis nostris subijciuntur; verùm etiam ad palmares ausus, clarissimos triumphos, bellicas victorias & de potentissimis trophæa hostibus reportanda, atq; adeo pro Reipub: nostroq; omnium capite subeunda discrimina for-

Tissi-

tissimi atq; optimi Ciues & Heroes con-spiciuntur. Hinc illud est, quod queri solebant olim Patres nostri, nullam sibi maiores tradidisse in Patria scientiæ Militaris experientiã, nulla ad insignes generis & animi dotes expoliendos erexisse Peripatea, nullos quibus docile collum facilemq; animum submisissent Phænices & Chironas viguisse. Nos autem quid queramur? sunt, qui naturæ Parentis in quotidiana rerum procreatione mirari soleant consuetudinem, in Philosophia Platones & Varrones, qui

--errantem Lunam, Solisq; labores,
Vnde hominũ genus, vnde imber & ignes,

enarrare: in Mathematicis Archimedes; qui morborum genera scrutari, corporumq; affectiones notare, in Medicis Chirones & Æsculapij: qui in Poetica suauitate luxuriari Musarumq; ostia liberius ingredi in Poësi Marones & Horatij; qui vtile iucundum, honestum, facile, & necessa-

rium diserte ac ornatè persuadere in arte dicendi Cicerones & Eumenij; qui Iustitiæ limites definire, iniurijs viam præcludere; æquum & iniquum discernere in iure Lycurgi & Scæuolæ; qui veterum monumēta & omnem antiquitatem euoluere in Historicis Salustij; qui Diuinorum consiliorum arcana reuellare, Sacrosancta Mysteria explanare summâ pietate & reuerētia contendant, in Theologia Ambrosij Nazianzeni Aquinates, vel ipso diuinissimo Heroe Ioanne Cantio aspirante, & per tales in sua Xysta succedentes hæredes atque interpretes, illos Zuinglianos, Caluinianos, & Lutheranos in grauissima hæresi demersos animos, velut è profundissimis Labyrinthi erroribus per alterum Ariannæ filum, ad antiquos sacræ sedis Romanæ codices deduci opportere iudicante. Sed ita ferè vsu venire compertum est, vt quo studia quæq; digniora & sanctiora sunt, eò magis ab hebetudine præcipiti & amentia teme-

Ritatis

ritatis humanæ deſpiciantur, &
pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virt⁹
eſſe prehibeantur. Hoc tamen affirmo Q. A. quod vos etiam à veſtris ſenibus traditum meminiſſe debetis. Nunquam Sarmatas noſtros vberrius diſciplinis, nunquam glorioſiùs bonis Ciuibus & Heroibus floruiſſe: quam hoc tempore, quo ampliſſima noſtra Academia, in ſumma tranquillitate Regni per artes, Scientias, cæteraq; honeſtiſſimarum ſtudia facultatum, ingenijs induſtriæq; populi accommodata florere cœpit. Inauditum pœne fuit ante Mathematicæ ſcientię genus, rarum Philoſophicæ culturæ nomen: quin & ipſæ Latinæ voces tam peregrinæ & barbarę vt Thebani aggreſtes & indocti aut Boetæ rudes, multo cultiùs & ornatiùs loqui crederentur. Circumferte nunc veſtros oculos & intuemini quam vndiq; Græcæ, Latinæ, liberę iunctæq; Orationis materi-

ęam capessinut Encomiastæ, non Areopagi-tica iudicia, non xysta legis peritorum, non armatus seueritate Cassius, non Heliconiadum latices, non trina Tullianæ facultatis fora, non quadringenti Atheniensium Reipub: Gubernandæ Ciues, aut decemuratus Græciæ Oratorius desideratur; omnia hæc, quæ Romæ & Athenis miramur, in hac vrbe nobilissima, Ciuitatū principe, Regum sede, ac Regina Prouinciarum, vt omnino suspiciamus sit necesse. At quorsum hæc disputo? nempe vt manifestum sit, neminem vnquam in Magistratu, Tribunalitijs præsidijs, curia, cæterisq; amplissimis dignitatum fastigijs conspicuū reddi posse: qui non priùs se prudentissimis Reipub: literarię Quiritibus submittendum, & his tramitibus in Academia ad sapientiā censeat informandum. In castris fortasse Martijs effinget quispiā fortitudinem sapientiæ præferendam? Esto enim habeamus fortissima capita, quæ sicubi expedi-

tna

ant vires, viribus ſicubi robur, robore rem bellicam promoueant; quid oro Cyclopũ moles? quid andabatarum legiones? quid Gyganteæ conferunt vires, ſiquidem atteſtante Lyrico Poeta.

Vis conſilij expers mole ruit ſua.?

Quì autem vallos delineare, caſtra cõmode locare, Oceanum metiri, montium iuga partiri, cuniculos agere, inq; ima turriũ viſcera, ſubterraneis è longinquo paſſibus, ignitos arietes, & ſulphuratos obijces recondere calluerint, ſub Ioue demũ frigido Martij commoditatem Cœli prius augurari, quam Geometricas lineas atq; dimẽſiones & Aſtronomicos circulos ephemerideſq; perdidicerint? Ac ne quis me, temerarij cuiuſdam Athenienſis Oſtraciſmum, cõtra Ariſtidem ſequutum, hæc inconſultis ardoribus loqui conuicietur, ex magno illo & bellicoſiſſimo Græciæ principe Vliſſe, quid de Aiacis fortitudine ſenſerit percontetur.

Tu v

Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri,
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantum corpore prodes,
Nos animo, quantoq; ratem q temperat, āteit
Tantum ego te supero.

Hoc testimonio quid vultis amplius? quid desideratis explicatius? Conclusum est, sine his diuinissimarum scientiarum adminiculis, neq; à Briareis & Centimanis Gygantibus summis viribus ac coniunctis pectoribus ad rem belli gerendam concurri oportere. Sensisse idem nostros maiores legimus, dum eo consilio celeberrimæ famæ Ioanni Zamoscio, quia,

Post varijs auido satiatus pectore Musis,
Doctior ad Patrias lapsus peruenerit oras,

totius belligerantis Imperij clauam & regimen demandatum fuisse accepimus. Verùm hæc ego illis, quorum chalibæa frontem adoperit cassis remittam, ad eam orationis meæ properabo partem, ex qua veræ Heroum nostræ Matri Academiæ feli-

citatis innatæ ſors maxima, & dignitatis ampliſſima lux eſt emanatura. Quis enim noſſet Laurentium Goſlicium, niſi js ob Mathematicæ ac Theologiæ ſcientiam, quâ, poſt vtriuſq; laureæ in Philoſophica dignitate, ſibi publicè delatos honores pluribus excellebat, Camenecēſem, Chelmenſem ac demum Poſnanienſem cathedram ſummo honore fuiſſet adeptus; tantorumq́; in retributionem meritorū perpetuum ſua in ſede Profeſſoribus Academicis condidiſſet monumentum? Quis conſultiſſimum illum Sigiſmundo & Augusto Senatorem, Martinum Białobrzeſcium, Alexandrum Guagninum militū præfectum ſtrenuiſſimum, Staniſlaum Sarnicium Campiductoriæ artis magiſtrum, quam hæc eadem inſignia ſapientiæ ſtudioſiſſimum iudicarunt? Quis Lucam Gornicium equeſtri quamuis ex ordine hoc ſæculo Regibus Polonis, eorumq́; Primatibꝰ charum crederet, niſi eundem digniſſimū

flammi-

Flaminem multarum peritum linguarum, iam in nostra iam in varijs gentiũ Academi js scientię ruijs ac Philosophiæ deditum, vel ex iudicijs cõmissæ sibi Prouinciæ Ticocinensis ex æquo & iusto administrandis conijceremus, Oratorē admiraremur, multorumq; operum à se editorum autorē superstitem intueremur? Martinusne Bronieuius a Stephano Rege pro reditu boni amplissimi quod est pax, & summorum ex ea dimanantiũ cõmodorum restitutione, cùm ad diuersos principes, tum ad immanem Osmanicæ gentis Tyrannum legatione fungi potuisset, barbarorum mores, emporia, portus, oppida, munitionesq; lustrasset & dimēsus fuisset, nisi eā quàm in Academia alacri percepisset animo Mathematicæ scientiæ cognitionē sibi comitem adiũxisset? Nũquā confectâ illa bellis ætate tam clarus per ora Virorum volitasset, ni singulari eius studio & prudentia florētissimā vrbibus quietem, legibus æquitatē,

casti-

castimoniā domibus, priuatis publicisquè statibus optatissimā tranquillitatem stare Patria triumphasset. Quid de clarissimæ memoriæ Stanislao Hosio dicam? nōnè js Primâ in Scientijs Philosophicis Academiæ obtentâ coronâ, ad tantum gloriæ culmen euectus est, vt, non modo in numerum Senatorum adlectus spectatissimus Senator, verum etiam in Cardinaliū adscitus ordinē Cardinalis amplissimus crearetur: tantumq; cùm in illa pro pace Ecclesię apud Carolum V. & Ferdinandum Cæsarem Pij IV. Pontificis legatione, tum ad sacrū Tridentinum Concilium glíscentibus vndiq; seditiosis contra Aras sedemq; Romanam Hęreticorum coniurationibus, prudentiâ & sanctitate de vniuerso Christiano Nomine meruerit, quantum mereri neminē vnquam posse facile speramus? Porro quid sibi illa clarissima Sarmatiæ lumina? illi de vetustissima Tęcziniorum Prosapia triumviri, per Academicas laureas & per hasto-

 gas

gas pollicebantur? Ita ſinus anguſti glorię, ſedeſq́, atq; thronus familiæ magnificus, clariſſimo ſuo ſanguine, virtutibus & religione, maxime verò Senatorio Spectatiſſimus fact⁹ honore carcer viſus eſt? Ita Proceres Regni min⁹ liberales qui honorib⁹ muneribuſq; digniſſimis Myſzkouiũ aut Koniecpolſcium excolere atq; exornare ſepoſitis Academiæ laureis neſciuiſſent? neq; dum dignos, poſt inſignes in ſcientijs progreſſ⁹ lauru iudicarunt, dignitate non deuincerẽtur? Non negatum id eorum fuiſſet dignitati, verum fortiſſimi viri exiſtimarunt, tũ ſe in Heroes eligi debere, ſi laborioſo literarum ſtadio emenſo, ſic Heroicarum virtutum in Academia primitias auſpicarentur. Sed ſi in recenſendis glorioſis Academiæ uiris perrexero, non modò in immenſum pelag⁹ noſtra ſeſe effundet oratio, ſed dies me etiã & vox ipſa facili deſeret negotio. Taceo hic beatiſſimos illos Academię palmites, Michaëlem Gedroc, Staniſlaum

proſze

Proſzeuienſem, Martinum Ieżowic, Simonem de Lipnica, Marianum de Ieziorko, Staniſlaum de Choriſz; ſi tamẽ illi ſine graui reprehenſione à me reticeri & præter mitti poſſunt; qui ita Academicis Honoribus vſi ſunt, vt nũquam abuterentur, ita Academicas dilexerunt laureas, vt cœleſtes non modo non negligerent, ſed ſupremo vitæ ſuæ in religioſiſſimis variorũ ordinum aſceterijs perfuncti die, pari ferè cum primo Academię Patriarcha, Diuo Ioanne Cantio paſſu demererentur. Omittto Vidauium, Orechouium, Neruicium, Bircouium, Ianuſouium, Schonæum, Ianidłouium, Sauadcium, Dobrocieſcium. Silẽtio prætereo Deilkos, Copernicos, Vladiſlauios, Kochanouios, Gorſcios, Konarſcios, Oporouios, Kmitas, Herbeſtos, Paproccios, Vrſinos, Anapachanios. Miſſum facio Scargam, Vuiconem; Laternam, Grodecium, Vielicium, Leopolitã, Smigleciũ, Samotulium, Maricium, Viaſdouiũ, Noui-

campianum,& sexcentos alios qui postea quã à conspectu Academiæ sacræ & profanæ scientię pro stipendio emeritis laureis pedem mouissent, in perpetua quasi incude laborum positi suas operas, dum alij Oratores Regios, Poetas & Historicos, Pręceptores alij & Mathematicos Consiliarios Theologos & Concionatores egissent, gratas esse cupierunt. Vnum vobis ex omnibus Illustriss: Academiæ nostræ Cãcellarium, amplissimum huius vrbis Antistitẽ propono: quem etiamsi ipsa maiorum decora conseruare claritatem gentis, me tacente, loquantur, insignem tamen nostro recens in conspectu Academicæ Vigiliæ fecerunt, atq, in hoc dignitatis gradu collocarunt. Possim ego vel cogitando eius apud me insignia sepelire decora, rectè factorum autem memoriã tacitus præterius, neq; ad grauem Heroum Matris exornationem quidpiam dignũ cõminisci scelus arbitrabor. Calent hæc adhuc passi-

bus eius attrita limina, palæstrarum feruēt pulpita, in quibus tantum in illa iuuenili herbescētis ætatis institutione operæ collocauit, vt simul in illo bonarum artiū disciplinæ simul virtutum semina pullulare cæperint. Quod tum magis elucescebat ac admirabilius visum est, cum iam tantis studiorum incrementis refertus, non in vmbra atq; otio delitescere, sed in solem emergere, Rempub: capessere, cumq, illis viris quos Patritius sanguis & auitaReligio sibi fecit æmulos sua sensa cōmunicare, per iuris capita eruditè decurrere, ingenio certare, & tam prudenter ratiocinari, vt grauissimorum sententiam hominū sociales inter consessus nō modo adæquaret, sed vinceret etiam & superaret. Atq; in hanc de se opinionem cum iam multorū raperet animos, tantâ in rebus agendis vsus est constantia; vt nihil vnquam in animo proponeret quod non aggrederetur, nihil aggrederetur quod non conficeret

nihil

nihil conficeret, quod non familiæ ſuæ decorum, Patriæ cõmodum, noſtræ demum Heroüm Matri Academiæ glorioſum non fore auguraretur. Hinc egregius omnium ordinum erga illum emerſit fauor, vt eum mox tanti Senatus quanti Populus tanti Magiſtratus quanti Reſpub: æſtimaret vniuerſa: breuiq́; virtute celerius quam ætate progrediẽte ad magni in Regno Secretarij munus Procancellarij dein atq́; Cancellarij vocaret, ad extremum Cracouienſem Cyllenidem & clauã Seueriẽſem, quà dignitate altius progredi in Imperio cõceſſum nulli, conferret honoficè. Nunc ego veriſſimum illud eſſe iudicio cũ Principe Oratorum Arpinate, Virtutis quam ætatis eſſe curſum celeriorem. Neſcit magna virtus clauſtra, & auguſta ingenia paruis honoribus Academia neſcit metari, ſed cuius eſt perpetua indoles, ſublimia conferre & ardua nouit, eidemq́; honores dignos conſectari. Ita illi vnanimes concordeſq;

desq; Zephyri felicius aspirabant: iuit nō reluctantibus sed consentientibus ventorum aspirationibus per pelagus laborum. Nauis Zadziciana. O si magne Dynasta, magne Mæcenas animum meum vidisses, notare enim præsens virtutes, quas absens de te nosses potuisses: pace tamen tua dicerē quod sentirem, nunquam te in eorum Satraparum concilium asseruissent Amici, in quod asseruit sapientia, nunquam eam tibi Maiestatem gentilitiæ conciliassent imagines, quam conciliauit virtus, nunquam ei te mitræ & illis Ducalibus sceptris fluxę rerum caducarum præfecissent opulentiæ, quibus per sua dogmata præfecit Academia: nunquam Æneam pietate, Numam religione, consilio Nestorem, Aristidem æquitate, iudicio Lycurgum expressisses, nisi his omnibus in Academicis Palęstris, quas in magno semper à teneris annis seruabas honore, insudasses. Seruat & nunc honos tuus sedem illam, cum eius à te ruinas, par-

te non mediocri à multis annis destituta atquē prostrata contubernia restaurari, collapsa sublevari, ornamentis & tectis vestiri, plura creari atque aperiri videmus; seruant & honorem illa, decusq́; tuum, dum tuas Patritias Classes, Naues tuas, ad cursum virtutis & ætatis longiorem instructas publicis Lycei Iagelloniani parietibus incidi magnificamus & honoramus. Exurgant nunc illi ab inferis Africani Scipiones, Decij, Curtij; non hi suorum præclarè factorum gloriã celebrabunt, sed præsentium triumphos & victorias Heroum numerabunt. Redeant septem illi sapientes; non de ingenio veteri et industria certabunt, sed nouorum integritatem atq; diuinitatem ingeniorum admiratione deffixi suspicient. Obstupescent Athenæ nec se se in vniuerso orbe phænicem prædicabunt sed æmulam seligent atq́; suspicabuntur Academiam. Tanta ob earum mercimoniũ literarum apud Gentes sanciuit fœdera, tantãq́; famam istis; quibus solis cursus Regionibus ac terminis continetur, definiuit. Quæ cum ita

sint

ſint, quiſadhuc de hac eius præſtantia & Nominedubitabit? aut quis illam ad Aſtra diuinis efferendā lādibus non iudicabit? eius quādoq; adminiculis tēpla, Diuorūq; cultus, aræ, foci, locaq; omnia ſacra, ſuâ venuſtate celebrentur; eius per hæc tanta ſtudia, innumerabiles præſtantiſſimi viri, clariſſima imperij ſydera, fortiſſimi Ciues & Heroes Orbem Sarmaticum condecorent, atq; tueantur. O Greciā Sarmatiā! O Athenas Cracouiam! O veram Heroum Matrem Academiā! Vtinam non degeneres tantæ Matris habeantur filij, ſe liberaliſſima voluntate in obſequium Patriæ conſecraturi, & aquilas hoſtem contra ſe fundentes militiā proſecuturi, illâq; doctrinâ, quâ imbuti ſunt, non ad oſtentationem, aut inſanam potentiam vſuri, ſed ad conſilium Ciuium, Religionis emolumentum, Patriæ viciſſitudinem conſeruaturi: vtinam eam Matrem ante omnes priuati commodi fortunas, tanquam ſalutarem & benigniſſimam humanis ingenijs Deā, intimis pectoribus ſemper colamus & venere-

mur: vtinam omnibus Regni futuris Heroibus in ea ponere primam ætatis aleam, rudimenta exercitij perdiſcere prima, virtus & natura ipſa etiam nauſeante & refragante fortunâ pennas concedat: vtinam non ad quæſtum potius lucrumq; ſed ad bonæ exiſtimationis curam, gentis & gloriæ ſtudium, indefeſſos ſub illius ſignis animos, vnaquæq; Ciuium conuertat multitudo: vtinam in ea ſuum domicilium fixiſſe honores ambientibus innoteſcat: vtinam omnes illi qui in eius vmbra pulueruleutū preſſerunt ſtadiū, hilari frontis oculorūq; cõtuitu, locupletatos ſe eſſe fateantur: vtinā vt nauclero nauis vno, ſole dies vno, lunâ nox vnâ, exercitus duce vno, vno ſtat Polonia Rege, vna hæc Heroum Mater producendis Patriæ columnis Heroes intelligimus par habeatur. Quid verbis opus eſt? Vos, vos, Ex: A. Q. appellamus, vos qui decus, qui gloriam, qui dignitatem ab eadem Matre accepiſtis, vos qui ,quales viri, & ad quanta proceſſeritis, quantumq; animi & cõſolationis adhuc ad meliora habeatis, nobis

osten-

ostenditis? vos qui honestissimarum artium studia ab vngue tenero à nobis iuuenibus adamata spectatis, & cui9 nobis nũc spei sint, & quorũ olim commodorum probè uidetis, partes à nobis susceptas tueamini. Deficit enim hîc oratio nostra, vbi naturatæ Potentiæ virium non est, ea consequi & complecti orando, quæ cõprehendere nequeuunt cogitando. Agite ergo Quirites Excell: animi vestri præstantiam intuemini; quam, nisi ijsdem studiorum ornamentis excoluissetis, de nostris ingenijs præsens arbitrium facere non potuissetis: ad quos, quoniam nostros deferimus ausus, & ad has florentimas Camænarum laureas votis aspiramus omnibus; simul has nobis, simul illos veræ Hemnibus; roum Matris, quos Academiæ tribuimus honores, vnanimi consensu & apprecatione decernite.

DIXI.

In stemma Almæ Academiæ Crac:



Quis Mars? vel Bellona Ducalia sceptra profanat?
Inq; Panomphæas cogit abire Cruces?
Scilicet, hæc Lechicis Iagelo dedit arma palæstris,
Queis contra stygias se tueantur hydras.
Cedite Tartareæ volucres, fera cedite monstra,
Namq; sciunt, Erebi, vincere, monstra, Cruces.

Ad Lectorem.

Adriacis Conopæum mea Carmia rhombis,
Texerunt: calidis præda futura focis.
Hæc, tu nullius, Lector quia dixeris, artis;
Sat sibi magna fore; si tibi nulla fore.

SVB AVSPICIIS
Magnifici & Clarißimi Domini,
D. MATTHIÆ WOYNSKI.
Philosophiæ & Medicinæ Doctoris,
Vniuersitatis in Alma Academia
Cracouień. vigilantissimi
RECTORIS.